



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXXI. Ad relatio sic differat ab essentia Dei, vt illam in suo
conceptu nihilominus includat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

An relatio sic differat ab essentia Dei, ut illam in suo conceptu nihilominus includat.

Quid sentiat Henricus, & Canariensis, cap. 1.

Essentiam diuinam, & relationem ita ratione differre, ut conceptus essentia non includatur in conceptu relationis, verior opinio fert, cap. 2.

Diluuntur argumenta prioris opinionis, cap. 3.

Conceptum relationis non pertinere ad conceptum essentia, cap. 4.

Magis distinguitur essentia à relatione, & attribuitur, quam relatio à persona, cap. 5.

CAPVT I.

Quid sentiant Henricus, & Canariensis.

P Rætermiffa sententia Scoti, & aliorum, qui affirmant relationes distingui ab essentia ex natura rei, qui consequenter asserere debent, essentiam non includi formaliter in conceptu relationis, cum illis tantum futura est nobis controuersia, qui docent, solum distingui per intellectum, an scilicet ita distinguantur, ut relatio nihilominus in suo conceptu includat essentiam, sic enim posse distingui aliqua per intellectum, dubium non est. Henricus igitur quolib. 5. q. 6. asserit, relationem ita ab essentia differre, ut illam in suo etiam conceptu essentialiter includat. In cuius rei explicationem notat, bifariam posse aliquid ratione distingui, vno modo secundum intentionem (sic ipse loquitur) quando videlicet vnum non includit aliud, sicut genus & differentia, quorum alterum est extra rationem, & conceptum alterius, altero modo, quando conceptus vnus includit conceptum alterius, sed ad id aliquid peculiare, ut species & genus: hoc ergo posteriori modo, inquit relationem, & essentiam in Deo sola ratione differre.

Eandem sententiam fecutus est Canariensis in hunc art. disp. 3. qui affirmat, ita intrinsece includi conceptum essentia in conceptu paternitatis, sicut ens in conceptu cuiusvis prædicamenti, quod supra rationem entis communem, addit particularem, qua ab alijs distinguitur; ita ut in ea particulari ipsa etiam ratio entis contineatur. Id vero probatur primo ratione Henrici; Nulla ratio fert aliquid ad aliud, nisi ratione alicuius absoluti, ratione cuius relatio inest subiecto, ita ut relatio nullam addat realitatem supra illud absolutum: relatio autem diuina refert vnā personā ad illam ergo ratione alicuius absoluti, ex quo habet rationem, nihil autem est in Deo absolutum præter essentiam, ergo relatio illam includit in suo conceptu.

Deinde probatur. Cum relatio diuina sit quoddam ens, & omne ens recte diuidatur per hoc quod est esse à se, vel ab alio sequitur, illam secundum rationem suam formalem debere esse à se, vel ab alio si intelligeretur esse ab alio, esset creatura, quod est absurdum, si vero intelligeretur esse à se, esset deitas, cuius propria ratio est, nulla habere causam: esset ergo duplex diuinitas, nisi relatio in suo proprio conceptu ipsam vnus diuinitatis rationem includeret. Hanc eandem rationem adducimus disp. 119. c. 1. pro sententia eiusdem Canariensis, qui docet, essentiam diuinam pertinere ad conceptum formalem cuiusvis attributi.

Postremo

Quid sit ex natura rei vnū aliter conuenire.

Capreol. 27. Soluitur fundamētū aduersarij ex authoritate Summi Augustini.

Ansel.

Damas.

ligere valeamus, sit, ut quantumuis addamus illud ex natura rei, cum affirmamus communicari aut non communicari, & similia, semper in nostris prædicationibus includatur aliqua distinctio, & ordo rationis, ob quem de eadem re ex natura rei omnino indiuidua, distincta tamen à nobis per intellectum, & per omnia diuersa, alterum affirmare, alterum negare non modo possumus, sed etiam debeamus. Quod si Deum, ut est, nominaremus, & intelligeremus, sicut vno conceptu simplicissimo quidquid est in eo, videremus, sic etiam vno verbo, aut nomine alijs beatis exprimeremus, in quo nulli essent termini contradictorii. Qualis vero esset ista expressio, nunc non possumus magis explicare, satis sit nosse, in ea non esse futuras varias enunciationes, ut prædictum est. Ex diuersis ergo, imo contradictorijs prædicatis, quæ de eadem re simplicissima, Deo videlicet dicuntur, non potest colligi distinctio aliqua ex natura rei, quia in omnibus prædicationibus, quantumuis addatur particula, ex natura rei, vel, realiter, est ordo ad varios conceptus, quos de eadem re simplicissima habemus, de quibus non eadem enunciamus. Cum vero adduntur prædictæ particulae, nihil aliud significare volumus, quam illud, quod re ipsa est, quatenus à nobis pro modulo nostro explicari potest, ita esse enuncians, & concipiendum, ne absurdum aliquod sequatur. Quare inde non tollitur illo modo distinctio rationis, quam omnes illæ propositiones necessario in seipsis includunt. Doctrina hæc colligi potest ex Capreolo in 1. d. 2. quæst. 3. artic. 3. ad 1. cum docet, contradictoria nunquam prædicari de Deo, nisi intellectu nostro operante, qui facit prædicationes: quod late ipse prosequitur.

Ex hac eadem doctrina non solum dilui possunt rationes Gabriels, Durandi, & Gilberti, omnes ducuntur ex varijs prædicationibus, quas de essentia, & relationibus enunciamus: verum etiam ad testimonia Aug. quæ pro se adducit Scotus, responderi: quale est illud 7. de Trinit. c. 2. Quoniam vero & verbum sapientia est, sed non eo verbum quo sapientia: verbum enim relatiue, sapientia vero essentialiter intelligitur: id dici accipiamus, cum dicitur verbum, ac si dicatur nata sapientia, & eodem lib. cap. 4. ubi ait, Aliud est Deo esse, aliud patrem esse: quo pacto loquitur etiam Anselmus lib. de processione Spiritus sancti cap. 2. Dicimus ergo, Ang. & Ansel. solum voluisse assignare distinctionem rationis inter illa, ut ostenderent, alio modo illa significari. Denique quod adducit ex Damasceno, nihil fauet sententiam: concedimus enim, relationem esse modum existendi, non autem notam existentiam, ut disp. 126. dicimus: ob id tamen non putat Damascenus, esse modum essentia realiter ab ea diuersum, nam quamuis ab ea non differat ex natura rei, potest nihilominus concipi, non ut res, sed ut modus essentia. Supererat hic disputare, utrum relatio, & essentia in Deo differre possint per intellectum creatum solum viatoris, an etiam per diuinam, & Beatorum videntium Deum, sed de hac controuersia idem omnino, quod de attributis diximus disput. 118. asserendum est.

Postremo nisi essentia diuina includeretur in conceptu relationis, efficeretur, personam diuinam esse compositam, saltem per intellectum, at quoniam compositio repugnat diuinæ simplicitati: ergo necesse est essentiam diuinam formaliter includi in conceptu relationis: sic enim cum illa non componeret, etiam in nostro intellectu: quemadmodum neque ens cum rationibus particularibus prædicamentorum: quia in omni necessario includitur. Quod si essentia in relatione non contineretur, non solum essentia duo distincta, verum etiam quia alterum non includeretur in altero, cum eo necessario tertium aliquid componere.

CAPVT II.

Essentiam diuinam, & relationem ita ratione differre vt conceptus essentia non includatur in conceptu relationis, verior opinio fuit.

EGo sane non dubito relationem diuinam ab essentia ita ratione nostra distingui, vt conceptus essentia nullo modo includatur in conceptu relationis, sed relatio apprehendatur à nobis, sicut aliquis modus, vel affectus adueniens essentia, quare idem prorsus existimo de hac propositione *Paternitas est essentia*, quod dixi de illa, *intellectus est voluntas*, disp. 119. c. 2. nimirum in sensu formali esse falsam, & solum in sensu (vt ait) identico cedendam. Hæc sententia fere eodem modo atque illa de attributis, probanda est. In primis autem essentia diuina non potest comparari cum relatione, sicut ratio entis cum ratione particulari. Nam vt dicebamur disp. 114. c. 2. ratio entis non est vna communis omnibus rationibus particularibus: sic enim esset vniuersalis & vniuersa; sed sola vox est communis, proxime significans decem rationes particulares prædicamentorum, substantiam quidem simpliciter, alias vero cum additamento: quia non sunt simpliciter entia, sed entis entia, vt docet Arist. lib. 7. meta. c. 1. & lib. 9. c. 1. & ita 4. metaph. c. 2. docet ens eodem modo dici de omnibus entibus sicut sanus de omnibus sanis. Numerata autem inter sana medicinam, & vinum, inter entia autem numerat etiam priuationem: quis autem dicat esse vnam rationem communem ad omnia sana, & ad ens, & priuationem, quare ens substantia nihil magis expresse significat, quam, *Substantia*: si vero ratio entis esset communis abstracta à multis, maneret sine dubio rationes particulares entium, in quibus ratio entis non includeretur; sicut manent in animalibus rationes particulares, abstracta ratione communi animalis. Nam si nulla ratio particularis maneret sine ente, quomodo posset aliquid ab inferioribus abstrahi? Idem enim aliquid abstrahitur, quia manet aliquid inferius, vt differentia sine illa ratione communi. Et eundem quemadmodum in reali abstractione vnus ab alio vnus manet sine alio, sic etiam in abstractione per rationem vnus debet manere sine actionibus particularibus, sicut animal à rationali: vt non includeretur in earum conceptu. Quo fit, vt non dicamus, animal abstrahi ab homine, & e quo, quia in eis semper manet, etiam per rationem, sed ab aliquo hominis, & equi nempe à differentijs eorum, ita vt abstractione dissoluitur equus & homo, & quoties fit abstractio vnus communis à pluribus particularibus, hoc modo fieri debet. Quare cum nulla ratio communis entis aut

accidentis abstrahi possit, quæ non maneat in modis intrinsecis inferiorum, sequitur nomina analogica non significare vnum conceptum communem, sed proximè ipsa analogata, vt optimè docuit Caietan. 3. tom. opusculorum tractat. 5. Atqui essentia diuina non potest conferri cum relationibus, sicut ratio analogicè significata cum particularibus, quia verè est vna tota in multis, non quidem communis ratione, conceptu, sicut est animal: sed re ipsa, impossibile autem est, concipere essentiam communem tribus, quin in singulis particularem rationem concipiamus, quæ in suo conceptu non includat essentiam: sicut non possumus rationem generis cogitare communem, quin etiam intelligamus rationes peculiare specifice, quibus communis sit, in quarum conceptu non includatur, quales sunt differentia: ergo essentia non se habet ad relationes sicut ens ad entia particularia.

Secunda ratio: Paternitas, & quævis relatio concipitur à nobis, vt aliquid adueniens deitati: ergo non intelligitur, vt includens eam formaliter in suo conceptu, sic enim non diceretur, nec intelligeretur, vt ei adueniens, sed, vt eadem secum in diuise trahens.

Tertia ratio: Ita concipitur relatio aduenire essentia, vt eam determinet, at impossibile est, intelligi relationem ad modum determinatæ essentia, si eam in suo concludit conceptu, id enim quod determinatur, non continetur in conceptu determinatæ, vt inductione constat in rebus creatis, cumque relatio diuina à nobis apprehendatur instar aliarum formarum, quæ in rebus creatis determinat id, quod commune est; fit, vt concipi debeat extra illam id, quod per eam determinatur, hoc autem est essentia, ergo relatio non complectitur in suo conceptu essentiam. Affertur tamen aduersarij exemplum entis, & modorum intrinsecorum, quibus determinatur, in quibus nihilominus essentialiter includitur. Sed, vt supra notauimus, exemplum futile est, quoniam ens non significat rationem communem, quæ per particulares determinetur, sed solum nomen est commune; hic autem essentia est verè communis & relationes sunt particulares, quibus nostro modo intelligendi determinatur.

Quarta ratio: Si essentia includeretur formaliter in conceptu relationis, hæc esset vera propositio formaliter, *Paternitas est essentia*, seu diuinitas, sicut hæc, *Substantia est ens*, vt aduersarij fatentur: rectè ergo sequeretur, *Ergo Deus Paternitate intelligitur*, & similia hoc modo. *Pater essentia intelligitur*, *Paternitas est essentia*, ergo *Pater paternitate intelligitur*, tunc vltra, *Pater eo, quo intelligitur, est sapientia*, sed intelligitur paternitate, ergo paternitate est sapientia. Idem diceremus de Verbo scilicet, eo esse sapientiam, quo est verbum, quod est contra doctrinam Augustini 7. de Trinitate, cap. 2. quod si essentia est de conceptu relationis, erunt etiam attributa, quare eodem modo erit formaliter vera hæc propositio, *Paternitas est intellectus*, sicut illa, *Paternitas est essentia*, ex qua idem omnino sequeretur. Neque obiter soluitur, quod essentia est terminus communis, & vniuersalis, non potest esse medium in syllogismo exposito, quia reuera prædictus syllogismus non est expositus, nec terminus, *Essentia*, ponitur omnino singulariter, sed communiter, ac si distribueretur in maiori propositione, vt sensus sit; *Essentia*

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Solutio quadam refellitur. 6.

Quarta ratio.

Augustinus.

Essentia

in qualibet persona, & quolibet modo se habeat, intelligitur deinde in minori sumitur particulariter, & ita seruat formam syllogisticam, *Darij*, quæ negari non potest.

Quinta ratio: Si relatio formaliter includit essentiam, sequeretur personam non constitui relatione, quia persona nihil aliud est, quam essentia relatione determinata, & contracta: id autem ipsum esset relatio, siquidem includeret essentiam, sed persona non constituitur persona: ergo nec relatione: & ita Pater, qui est persona, non constitueretur paternitate: nisi diceremus, aliquid significari nomine patris, & in eius includi conceptu, quod non includeretur in paternitate.

*Aduersa-
riorum so-
lutio.*

Respondent tamen nonnulli patrem & paternitatem non ideo differre, quia aliquid continetur in conceptu vnius, quod non includatur in conceptu alterius: sed quia diuerso modo significantur nomine concreto & abstracto: ob quam diuersitatem significationis Pater, & paternitas non sunt synonyma: diuersus ante modus significandi in hoc consistit, primum, ut nomine concreto, Pater, significetur paternitas, non vtrumque, sed cum effectu formali facienti subsistere incommunicabiliter, qui non significatur nomine abstracto, Paternitas: deinde, quia per concretum nomen magis expresse significatur essentia cum relationibus, quam per nomen abstractum, sicut ergo definitio, & definitum non sunt synonyma, quia idem nomine definitionis magis distincte significatur, quam nomine definiti: sic etiam paternitas & pater non erunt synonyma, siquidem nomine concreto distinctius essentia significatur.

8.

*Reijetur
in formula.*

Sed hæc effugia præcludere non est difficile; primum quidem, si paternitas in suo conceptu directe, & essentialiter continet essentiam, non potest non illam includere addito peculiari modo incommunicabiliter subsistendi, quia ipsa paternitas est ratio personæ, & proprietates, quæ incommunicabiliter subsistit, & ultimo terminatur: essentia igitur non completa, & quasi definita intelligitur iam subsistens incommunicabiliter, quare tam nomine abstracto, quam concreto concipitur relatio ipsa, & proprietates cum effectu formali subsistendi incommunicabiliter.

*Pater non
constituitur
paterni-
tate, si dis-
tinguitur in
suo modo
significandi.*

Tum etiam, tamen magis distincte significaretur nomine concreto idem, quod nomine abstracto denotatur, sicut definitione idem magis exprimitur, quam nomine definiti, nihilominus si alio modo non differrent paternitas, & pater, quamuis non essent synonyma, sicut reuera non sunt, definitio, & definitum, dici tamen nullo modo posset patrem constitui paternitate, sicut neque definitio dicitur constitui definito, vel contra. Oportet igitur maiorem distinctionem in nostro conceptu assignare, id quod nullo modo fieri potest, nisi dicamus, in conceptu paternitatis conceptum essentia non contineri.

*Confirmatur
obser-
uatione im-
pugnatur.*

Ad hæc, ut dicebamus supra dis. 119. cap. 2. de attributis eodem modo, quo de relatione, & persona philosophandum est, nempe, si relatio idem significat confusè, sicut definitum, quod persona distincte, sicut definitio, sequitur cum nos apprehendimus personam, cuius conceptus est magis distinctus apprehendere relationem, & essentiam, ut duo distincta, & vtrumque de ratione personæ, ex hoc autem sequitur, relationem concipi distincte, tanquam alteram partem personæ, &

essentiam tanquam alteram, ergo relatio, & persona ratione nostra differunt pliusquam distincte, & definitum, nec in relationis conceptu includitur essentia, siquidem relatio cum essentia ut duo apprehenduntur ad constitutionem personæ, si ergo distincte concipiatur vtrumque, & persona, & relatio etiam in nostro conceptu diuersa sunt, & persona includit essentiam, quam non includit relatio, concludamus ergo, in conceptu relationis diuinæ, essentiam Dei non comprehendere, etiam si relatio præter rationem, ad, habeat quoque rationem, in, quia illud, in, non est quid absolute, tum, sicut est essentia, ut in solutionibus argumentorum dicemus.

CAPVT III.

Diluuntur argumenta prioris opinionis.

Ad primum igitur argumentum Henrici respondetur, relationem quidem inesse subiecto, ut videmus in creaturis, in Deo autem concipi ad modum inherens, & ita vnicuique relationi suo modo conuenire rationem, in, & rationem, ad, hoc est, aut realiter aut nostro modo concipiendi, verum ratio illa, in, non est absoluta, ut falso supponit Henricus, sed aut abstractitur ab absoluta & respectiua, si vera est sententia, quæ affirmat, dari conceptum communem omnibus prædicamentis accidentis, aut quod verius ego puto, est eadem cum ratione ad, neque ab ea diuersa, nisi solo nomine, eo quod accidens, sicut ens, analogice de nouem prædicamentis dicitur, & ita ratio, in, proxime significet nouem rationes prædicamentorum, ut disputat. 114. cap. 2. dictum est, quæ de causis diximus, rationem, ad, sine ratione, in, nullo modo cogitari posse. Sic ergo relatio diuina nostro more intelligendi concipitur ut quid inherens essentia, & inde dicitur habere rationem, in, sed cum intelligatur ut inherens essentia, non potest includere in suo conceptu ipsam essentiam, ut probatum est, nec ratio illa, in, diuinæ relationis esse potest essentia diuina, sed aliquid præter eam in nostra cogitatione, sicut de reliquis attributis diximus disput. 116.

Secunda ratione contendebant aliqui, eodem modo probare, in conceptu attributorum essentiam Dei comprehendere, ut vidimus disput. 119. cap. 1. ad eam vero eodem modo nunc respondemus, sicut in ea disputatione cap. 3. nempe relationem concipi à nobis, neque ut Deum ipsum, neque ut creaturam, neque ut à se, neque ut ab alio, sed ut aliquem modum Deitatis, quo redditur vltimo incommunicabilis, & subsistens, qui licet re ipsa sit à se, & sit ipse Deus, à nobis non cogitatur à se, nec ut Deus, cum ratione distinguitur ab essentia. Et quamuis formaliter loquendo illa non prædicemus de essentia, nec dicamus esse ipsam Deum, nec ipsam Deitatem, nihilominus non dicimus, nec affirmare, imo nec cogitare possumus, ipsam esse creaturam, & ab alio, ut enim hoc affirmamus aut cogitare possemus, non satis esset, ipsam cogitare ut aliquid distinctum à Deitate, & ipsa adnotari, sed oporteret recipere ipsam esse ab alio, sicut à causa, id enim ea propositio significat.

Ad 3. argum. dicimus, essentiam aut personam diuinam esse quidem compositam, non ex parte rei, sed per intellectum, sicut etiam per intellectum, aut dicitur constituta, non autem re ipsa, neque hoc aliquid derogare eius simplicitati. Eodem modo

namque modo repugnat simplicitati, & unitati Dei compositio, quo repugnat multitudine & distinctio: cum summa autem eius unitate & simplicitate concedimus distinctionem, & multitudinem per rationem: ut enim ait S. Tho. 1. p. q. 13. art. 4. ad 3. *Deus est vnus, & plures secundum rationem, quia intellectus noster ita multipliciter apprehendit Deum, sicut res multipliciter ipsum repræsentant*: ergo eodem modo compositionem concedere debemus. Quid enim aliud est compositio, aut constitutio, quam plurimum ad eandem rem statuentiam, & perficiendam conuenient? Componere enim, est simul cum alio aliquid pouere, & constitutere, simul cum alio aliquid statuere: sicut ergo per rationem in Deo est simul essentia, & relatio, & plura attributa: ita etiam vnum horum cum alio dicitur Deum statuere, aut ponere. Nihilominus non debemus absolute dicere, Deum esse compositum: tum quia ea quæ conueniunt rei tantum per intellectum, non prædicantur de illa absolute: huiusmodi est compositio in Deo, & multitudo. Tum etiam, quia nomine compositionis expresse significare videtur aliquid oppositum diuinæ simplicitati ideo addimus, *per intellectum*, ut nihil eius simplicitati derogare videatur: quia vero cum de constitutione loquimur, iam ex consuetudine recte intelligimus, quid velimus significare: ideo absolute dicimus diuinam personam constitui relatione, sicut etiam hominem constitui rationali, licet talis constitutio, etiam in homine, non sit realis, sed rationis. Porro, utrum constitutio in diuinis sit realis, an rationis, disputatio 138. pertractabimus. Præterea, cum Deo tribuimus constitutionem, non ita significamus aliquid oppositum simplicitati, sicut nomine compositionis, & ideo absolute eo nomine utimur.

Sunt tamen, qui negant in Deo compositionem etiam rationis, tum quia ratio nostra dum apprehendit Deum multiplicem varijs conceptibus, potius distinguit, & separat, quam componat. Tum etiam, quia omnis compositio rationis debet nasci ex aliqua compositione reali, sicut compositio generis & differentie ex compositione materiæ, & formæ in rebus corporalibus, in spiritualibus vero ex compositione naturæ & suppositi: & pro sua sententia afferunt Capreolus in 1. d. 2. q. 3. art. 3. ad 2. Verum ibi Capreolus solum contendit, compositionem, quæ Deo intrinseca sit, denegare: at in conceptu nostro, sicut admittit, multitudinem, sic etiam concedit compositionem, quam ipsi Deo dicit esse extrinsecam: nos vero ita compositionem Deo tribuimus, sicut multitudinem, non quidem intrinsecam ipsi, sed prout ipse est in nostra cogitatione: veluti Spiritus sanctus dicitur septiformis, ut etiam concedit Capreolus. Quæ vero adducta sunt ad probandum in Deo non esse compositionem rationis, nullius momenti sunt. Nam licet ratio nostra distinguens in Deo attributa, seu relationem ab essentia, ea videatur diuidere, & secernere: quia tamen ea concipit ut in eodem subiecto adunata: non ita distinguit, ut non componat, siquidem ita distinguit relationem ab essentia, ut nihilominus ex utraque personam constituat, ut nihilominus ex vtraque compositionem generis & differentie, aut compositionem rationis ortum habere ex compositione aliqua reali, sicut falsum est, *Vazquez in 1. partem Tom. II.*

genus sumi à materia, & differentiam à forma, vel ab alijs rebus distinctis, ut infra disp. 180. dicemus; quare ex hac parte non repugnabat Deo compositio generis & differentie, quæ solum est per rationem, quæ vero alia ratione repugnet, diximus supra disput. 21. quomodo autem neque distinctionem rationis, nec compositionem per intellectum nostrum in Deo neget Anselmus, *Anselmus*, notauimus supra disput. 116. cap. 4.

CAPUT IV.

Conceptum relationis non pertinere ad conceptum essentia.

Multo magis certum est, conceptum relationis non pertinere ad conceptum essentia, quam essentiam non esse de conceptu relationum, id quod non obscure colligitur ex Augusti. multis in locis, sed præsertim 7. de Trinitate, cap. 2. ubi ait, verbum non esse eo verbum, quo est sapientia, quia verbum relatiue, sapientia vero essentialiter intelligitur, & cap. 4. cum ait, aliud in Deo esse, aliud Patrem esse, & ex Anselmo lib. de processione Spiritus sancti, cap. 2. qui eodem modo loquendi vsus est. Si enim relatio verbi non pertinet ad sapientiam, ergo nec relatio personalis, qualis est relatio verbi, pertinet ad essentiam. Quod si relatio geniti, aut verbi in ratione sapientia, & essentia includeretur, non opus esset, ut ait Augustinus, dicere, genitam sapientiam, ad significandum verbum, ideo ergo iudicat Augustus, addendam esse vocem illam, *genita*, ut sapientia significet verbi personam, quia sine illa nomen sapientia, & quoduis aliud essentiale non exprimit relationem, quæ constituitur persona, cum illa non sit de conceptu essentia.

Ratione idem probatur, primum, quia essentia, & quidquid ad illam pertinet, est commune tribus personis, ut decernitur in cap. *Firmiter*, & in cap. *Dammamus*, de summa Trinitate & fide Catholica, relationes autem non possunt esse communes tribus personis, ergo non possunt esse de essentia. Tum etiam, bonus est hic syllogismus, Deitas est relatio. Deitas est communis, ergo relatio est communis. Nec obstat, quod medium sit terminus communis, quia in utraque propositione est vniuersaliter suo modo, si enim de conceptu essentia est relatio, illa debet conuenire Deitati in tota sua communitate, & ita forma syllogistica bona erit. Adhæc cum ex doctrina Augustini 7. de Trinitate, cap. 2. & Concil. Toletan. II. in confessione fidei, Deitas sit ad se, & non ad aliud, non poterit in suo conceptu relationem personalem includere, sic enim esset ad aliud, sicut est Pater.

Sed quamuis hæc ita sint, relationes tamen non sunt dicendæ accidentariæ ipsi essentia, aut de ea per accidens prædicari, sed vere per se enunciaci in concreto; quare hæc propositio, *Deus est Pater*, est propositio per se. Porro quomodo illi addere liceat particulam, *in quantum*, quæ est nota per se itatis dicemus quæst. 39. artic. 6. nunc vero ista sufficiant.

Demum quamuis relatio sit de conceptu intrinseco, & formali personæ, dici non debet, esse de essentia personæ, nam de essentia personæ non dicitur quidquid ad eius rationem formalem pertinet, sed quidquid est de conceptu naturæ, quam habet, persona enim constituitur duobus, & essentia

14. *Relationem non includi in conceptu essentia auctoritate Augusti.*

Anselmus.

Ratio prima pro eadem sententia.

Secunda.

Tertia.

15. *Concilium Tolet. II.*

Relatio non conuenit, nec prædicatur per accidens de essentia.

Sed nec est de essentia persona.

sentia seu natura, & personalitate, quorum utrūque dicitur de ratione formali illius: sed alterum tantum dicitur eius natura, & essentia.

CAPYT V.

Magis distinguitur essentia à relatione, & attributis, quam relatio à persona.

16. **C**Um hæcenus solam distinctionem esse dixerimus inter relationem & essentiam, inter essentiam & attributa, & inter ipsa attributa, eademque distinctio sit inter relationem & personam, ut inter paternitatem & patrem, & inter abstracta & concreta in vniuersum, quod nullus negat, reliquum est, ut explicemus, quæ horum magis inter se differant: hoc autem inquirimus in schola Thomistarum, qui non aliam distinctionem inter hæc concedunt, quam per intellectum: nam Scotus & alij, qui admittunt distinctionem ex natura rei, ea omnia, quæ hoc modo differunt, æque distinguunt. Omnes autem Thomistæ fatentur, magis differre per intellectum relationem ab essentia, essentiam ab attributis, & attributa inter se, quam differat relatio à persona, ut paternitas à patre: sed in hanc sententiam non eadem ratione conueniunt. Canar. in hunc articulum disputatione 3. par. 2. post 3. conclus. ut huius rationem assignet, notat duo, alterum est, eandem rem omnino ex natura rei, imo eandem secundum definitionem posse distinguere per nostrum intellectum, sicut Petrus distinguitur à se ipso, quatenus idem de se ipso prædicatur, & ponitur in propositione ut subiectum, & ut prædicatum instar aliorum, quæ inter se magis differunt, & vnum de alio prædicatur. Hoc modo putat differre abstractum, & concretum, ut humanitatem, & hominem, non quidem definitione, sed sola operatione intellectus: quia cum sit eadem res ex natura sua, & eadem definitio utriusque, intellectus alterum concipit ut in supposito, alterum ut abstractum ab eo. Deinde notat Canariensis dupliciter aliqua distinguere per intellectum, quædam existente aliquo in re ipsa fundamento, & hæc distinctio (inquit ille) fit per diuersas notitias de eadem re, quæ quidem ita se habet in essendo, sicut notitia in significando. Altera vero distinctio fit, nullo existente fundamento in re ipsa, sed solum in intellectu, & fit per diuersas notitias de re quæ non ita se habet in essendo, sicut notitia in significando.

17. *Probatur relatio minus distinguere à persona quam ab essentia.*

Impugnatur hæc ratio ex falso fundamento illius duplici distinctionis.

Probat ergo minus differre relationem à persona, quam cetera, quæ diximus inter se: quia relatio à persona differt posteriori nullo modo sine illo fundamento in re ipsa: cetera vero priori modo existente fundamento in re, eo quod cetera differunt definitione: relatio vero, & persona non definitione, quia eadem est utriusque, sed diuerso modo significandi, & ideo solo nostro modo concipiendi.

Ego vero quamuis existimem minus differre relationem à persona, quam cetera, quæ enumerauimus inter se, aliam tamen puto esse rationem minoris differentie, displicet enim mihi, semperque displicuit diuisio illa distinctionis, ut notauimus disputat. 117. cap. ult. Primo, quia ubi probauimus, omnis distinctio rationis habet fundamentum in rebus, & in nostro modo concipiendi, in rebus, non quia in ipsa re, quam per intellectum distinguimus, præcedat aliqua multitudo aut dis-

tinctio: sed quia quæcumque distinguimus, per ordinem ad aliqua diuersa distinguimus, nam Petrus à se ipso nec ratione distinguitur, sed idem nomen, vel etiam idem conceptus omnino idem repetitur, quod non est proprie distinguere, eum per intellectum, ut ibidem notatum est.

Secundo saltem est, quod ait Canariensis de distinctione rationis, quæ habet fundamentum in re. Nam notitia de re, quæ efficiunt distinctionem rationis, ita sunt diuersæ in intellectu, ut in re ipsa nulla sit diuersitas, quare non ita se habet intellectus tunc in intelligendo, sicut res ipsa in essendo. Si enim ea, quæ intellectu sunt distincta, sic essent in se ipsis, sicut sunt in intellectu, eorum distinctio esset ex natura rei, & non penderet ex intellectu, male ergo de huius Canariensis distinctionem rationis, quæ habet fundamentum in re.

Tertio doctrinam prædictam de distinctione habente fundamentum, & de ea, quæ non habet, non recte applicat ad præsentem difficultatem. Nam si respiciamus id, quod est in re ipsa Deo, non magis differt essentia à relatione, & essentia ab attributis, quam abstractum à concreto: hec enim omnia re ipsa indiuidua sunt, & abique distinctione, ut probatum manet: ergo non est distinctio, quæ habet fundamentum in re inter hæc potius, quam inter illa, sed æqua erit utriusque ratio.

Fateor igitur inter relationem, & personam, concretum & abstractum minorem esse in Deo distinctionem rationis, quam inter essentiam & relationem, essentiam & attributa. Pro cuius explicatione notandum est id, quod dicere cepimus disput. 119. cap. 2. quamuis omnis distinctio fundamentum habeat in nostro modo intelligendi, & in rebus, instar quarum distincte concipimus, non autem in re ipsa, quam distinguimus, nihilominus vnam distinctionem rationis posse esse maiorem, quam aliam, & aliquando talis notitia, ut impediatur vnum de altero prædicari quædam enim differunt per modum diuersarum formarum, quarum vna non includitur in alia, sicut commune in particulari, & hæc est distinctio, quæ maior esse non potest: estque inter attributa ipsa inter se, & inter essentiam & attributa, inter essentiam etiam & relationem. Hæc differunt omnino de definitione, nec vnum de alio formaliter prædicatur, ut disputatione citata prædictum est: differunt autem ex parte directi significati, quia directe significata sunt veluti duæ formæ diuersæ, quarum vna non est de ratione alterius. Alia vero differunt quidem ratione, sed minus, sicut superiorius & inferiorius, commune & particulare, eo quod vnum includitur in alio: & hæc distinctio non impedit prædicationem vnius de alio. Abstractum & concretum alio modo differunt in Deo secundum rationem, non quia ex parte directi significati aliquid sit de conceptu vnius, quod non sit de conceptu alterius, sed quia ex parte connotati aliquid connotatur ab vno, quod non ab alio: tunc si ex parte directi significati non differant. Nam *Pater* directe significat relationem paternitatis, *paternitas* similiter: sed *Pater* connotat etiam naturam diuinam, in qua relatio subsistit, quam *paternitas* non connotat. Diuinitas vero & paternitas ex parte directi significati, & nullo modo ex parte connotati differunt, quia utraq; est

gnificatur vt forma diuersa. Idem de attributis inter se collatis, & cum essentia dicendum est. Ceterum quamuis minor sit distinctio rationis inter abstracta, & concreta, quam inter essentiam & relationem, illa tamen sufficiens est, vt abstractū de concreto in sensu formali non prædicetur: quia si prædicaretur, multa essent concedenda absurda in sensu formali, vt quod paternitas intelligeret, generaret, si Pater, esset paternitas, sed de concretis & abstractis iterum quæst. 39. artic. 5. Quare vero distinctio eiusdem a se ipso non efficiat falsam propositionem, & vtrum vere ibi sit distinctio rationis & conceptus, an eiusdem solum conceptus, sicut & nominis repetitio, diximus dilucidatione illa 119. cap. 2.

DISPUTATIO CXXII.

An relatio diuina, vt concipitur diuersa ab essentia, sit aliqua perfectio.

Relationem in Deo nullam esse perfectionem, sentiunt Scotus, Durandus, Capreolus, & Caietanus. c. 1.

Refellitur predicta sententia. c. 2.

Relationem personalem in Deo esse perfectionem, ac proinde tres perfectiones relativas in eo concedendas esse putauit Gabriel, & alii. c. 3.

Predicta opinio impugnatur. c. 4.

Quomodo vna persona dici possit maior alia, non dignior, aut perfectior. c. 5.

Vtrius sententia. cap. 6.

CAPVT I.

Relationem in Deo nullam esse perfectionem, sentiunt Scotus, Durandus, Capreolus, & Caietanus.

Proposita quæstio non solum difficultatem habet in opinione Thomistarum, qui dicunt relationes ab essentia sola ratione distingui, vt nectiam in sententia Scoti, qui docet, distingui ex natura rei: cum enim vtroque modo relatio sit quædam entitas, & quælibet entitas sit perfectio, videtur in Deo esse tres perfectiones, sicut tres sunt relationes: quod sane aliquibus falsum, alijs autem verum videtur. Referamus ergo aliorum placita, vt quid nobis videatur distincte definiamus.

Prima igitur opinio sit, relationes in Deo secundum rationem formalem non esse perfectiones, neque imperfectiones aliquas. Quam tradiderunt Scotus in 3. d. 1. quæst. 1. & 4. & ex professo quodlib. 5. art. 1. & 2. Durand. in 3. d. 1. q. 3. num. 13. Capreolus in 1. d. 7. q. 1. art. 2. ad 3. contra primam conclusionem. Caietanus in hoc articulo circa solutionem 3. Nec oppositum docet 3. p. q. 3. art. 1. cum ait, personalitates esse infinite perfectas: quia, vt ibidem ipse notat, non debemus metiri personalitates diuinas cū relationibus, vt relationes reales sunt. Nam relationes reales non sunt infinite perfectæ formaliter, quatenus relationes sunt, sed quatenus sunt subsistentes: sic enim subeunt rationem personalitatis: quam quidem subsistentiam putat Caietanus relationibus provenire ab essentia, & ratione illius posse terminare viam hactenac. Quia si relatio diuina formaliter esset perfectio, sicut in Deo sunt tres reales relationes, sic etiam essent tres reales perfectiones, ex hoc autem duo sequerentur absurda, vnum esset, in patre fore aliquam perfectionem, quæ

Vazquez in 1. partem Tom. II.

non esset in alijs personis, sicut in Patre est aliqua relatio, quæ non est in alijs, quare quælibet persona careret aliqua perfectione. Alterum est, aliquam personam fore perfectionem alia, quia tres illæ perfectiones non essent quasi eiusdem speciei, sed omnino quasi diuersæ, & contrariæ, non ergo essent æqualis perfectionis, quia inæqualitas fundatur in diuersitate quantitatis, sicut dissimilitudo in diuersitate qualitatis, quare altera esset maior, quod est absurdum. Secundo probatur si paternitas in Deo est perfectio, esset infinita perfectio, includeret igitur omnem perfectionem, ac proinde filiationem, quæ est altera perfectio, quod est impossibile. His fere rationibus vtiuntur Scotus & Durand. Caietanus autem & Capreolus alio tertio modo confirmant. Quia nimirum relatio, vt relatio abstrahitur à perfectione, & imperfectione, forsitan quia existimant, secundum propriam rationem non inesse subiecto. Porro relationem non esse imperfectionem aliquam facile probant, quia relatio est in Deo, in Deo autem nulla potest esse imperfectio: ergo relatio non est imperfectio.

Secunda ratio.

Confirmatio.

CAPVT II.

Refellitur predicta sententia.

Hæc opinio mihi non probatur: existimo namque ad Dei perfectionem non minus pertinere relationes, quam attributa, primo, quia sicut Deus ob suam infinitam perfectionem potest esse sapientem, sic etiam ob eandem fecundus est, vt sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus: negari ergo non potest, paternitatem esse aliquam Dei perfectionem, sicut sunt attributa. Porro fecunditatem, & relationes ad Dei perfectionem pertinere, non minus quam attributa, quamuis non eodem modo, hac ratione probatur. Quia sicut melius est Deo esse sapientem, quam non sapientem, ita melius est Deo esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, quam non esse: illud autem quod melius est alicui rei, quam negatio illius, non potest non esse perfectio rei, quod enim alicui melius est, illi perfectius est, melius enim & perfectius idem sunt sicut bonum & perfectum. Ex quo inferemus cap. 4. relationes non solum ad perfectionem Dei pertinere, sed etiam esse perfectiones simpliciter simplices ipsius Dei.

Rationes que probant relationem esse perfectionem.

Primaria ratio.

Secundo contra Scotum ex eius doctrina arguere possumus, nam, vt vidimus disp. 116. ca. 3. ideo probat ille attributum misericordie differre ab attributo iustitie, quamuis vnaquæque illarum sit infinita, quia infinitas cuiusque non extrahit eam extra suum genus, sed in suo genere reddit infinitam, ita vt infinita perfectio iustitie, non contineat in se infinitam perfectionem misericordie, sic ergo esse posset paternitas, quæ esset infinita perfectio in genere paternitatis absq; hoc quod in se contineret infinitam perfectionem filiationis, quare male arguit Scotus, cum ait, ideo paternitatem non esse perfectionem, quia deberet esse infinita, ac proinde in se contineret perfectionem filiationis.

Secunda ratio contra Scotum ex eius iustitia mensa.

Tertio, si relatio in Deo non esset perfectio, esset quidem imperfectio, nam perfectio, & imperfectio contradictorie opponuntur, perfectum enim est, cui nihil deest, imperfectum contra est, cui aliquid deest, si ergo paternitas non esset perfectio, sequeretur illi aliquid deesse, defectu cuius

Tertia ratio.